

*Monasterio cum Doctis habitasse, & secundum Apostolorum regulam vixisse, & à suo collegio Episcopos aliquot, doctissimos viros, Ecclesiis dedisse.*

Ex iis autem omnibus, quæ diximus, partim de Scholis Christianis & Theologicis, in toto orbe Christiano, iam inde ab initio per omnia secula institutis, partim de causis, propter quas tantâ diligentia & studio, tam à Mose primùm, & Prophetis, piisque Regibus Iuda, quàm postea ab Apostolis, Christianisque Principibus institutæ & conseruatae fuerunt, facile quivis videre potest, quàm sit necessarium, si velimus & purum Dei verbum, & puras Ecclesias apud nos cõseruari, vt cùm primis Scholas habeamus optimè constitutas, in quibus tum linguarum cognitio, & liberales artes doceantur, tum maximè puritas Christianæ doctrinæ conseruetur.

*Necessaria Scholæ.*

*Cura vt sint Scholæ, est Principum.*

*De officio Doctorum in Scholis.*

Hæc verò curam cùm primis ad Reges & Principes Christianos pertinere, tum ex iis quæ diximus, tum ex aliis, quæ nisi vitiosam prolixitatem metueremus, dici à nobis, & ex S. literis, historiisque Ecclesiasticis demonstrari possent, itidè perspicuum esse potest.

Superest igitur, vt de altera Scholarum cura, quæ nimirum ad ipsos attinet Doctores, non nihil breuiter dicamus. De omnibus autem, qui in Scholis profitentur, nō est nobis in præsentia sermo, sed de Theologis tantùm Doctoribus verba facimus.

*Officium primum catechizandi, seu tradendi locos communes.*

Horum in summa, quod ad docendi prouinciam attinet, duplex est officium. Primùm, vt summam Christianæ doctrinæ, ex S. literarum fontibus haustam, methodo συστηματικῶν collectam, & in